

istæ actiones sint intrinsece malæ, nulla ratione excusari possunt. Aliæ vero actiones, quæ secundum se spectatæ peccata non sunt, quamvis talia sint ex pravo furis animo, fieri possunt absque peccato, quando gravis, & justus metus intercedat sive mortis, sive infamæ, sive alterius damni superioris ordinis. Imo in illis dominus non censetur rationabiliter invitus quoad illum qui ita operatur, ut vitam propriam, & bona superioris ordinis conservet. Ita P. Milante in prop. 15. Innoc. XI. Vide dicta de cooperatione ad peccatum in tract. 3. de præcep. c. 7.

### CAPUT III.

#### *De aliis causis restitutionis, & de ordine ipsius.*

28. *Quæst. 1.* An teneantur ad restitutionem, qui negative ad damnum concurrunt? R. 1. qui impedit sine vi quidem, aut dolo, ne alter repararet illatum damnum, peccat quidem contra charitatem, sicuti qui per malitiam permittit illud damnum, sed non contra justitiam, adeoque non obligatur ad restitutionem. Ita Lugo, & alii; sed repugnant Navarrus, & Medina, cum videatur causa damni alterius, impediendo illius reparationem. 2. is qui tacet, & furem non manifestat, cum possit, ac debeat; tenetur ad restitutionem. Unde Magistratus, belli duces, Tutores, Advocati, aliique, qui ex officio, vel stipendio obligantur cavere alterius damnum, nisi id faciant, tenentur ad restitutionem.

29. *Quæst. 2.* Cum plures alteri damnum inferunt, quo ordine debent illud sarcire? R. 1. si quisque seorsim, nec ex conducto concurrat ad proximi damnum, non plus reddere tenetur, quam id, quod per se quisque damni intulit. R. 2. si plures inter se consentientes, aut se invicem juvantes id fecerint, singuli in solidum tenentur totum damnum reparare, cum singuli sint causa totius damni. Unde si unus eorum restituit in integrum, potest ab aliis pro rata partem repetere. Quod videtur certum, si res, quæ damnum patitur, individua sit, ut cum domus, vel navis incenditur, homo occiditur, cet. Si autem res sit dividua, adhuc in solidum tenentur singuli restituere, si sese invicem moveant, & adjuvent, ita ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret. Si tamen communi consilio ita concurrant, ut etiam aliis deficientibus fieret damnum, multi volunt, solum teneri ad restituendum pro rata in re dividua, v. g. in furto vinæ, thesauri, cet. quia solum erunt singulis partialis causa illati damni.

30. R. 3. Cum plures in solidum tenentur restituere, & dubium sit, an alius restituerit, quisque tenetur totum reddere; quia cum singuli obligentur ad reparandum totum damnum, non satis est partem illius compensare, nisi id quoque ab aliis factum prudenter præsumatur. Sed quonam ordine debent plures cooperantes restituere? R. si res ablata lucrum peperit auferentibus, is primo debet reddere, apud quem illa existit, vel ejus lucrum; quod si ille non faciat, tenentur reliqui. Si vero res perit, nec lucrum

peperit, obligatur restituere is, qui mandavit, quique consilium dedit in sui gratiam. 2. loco executor, & suo ordine alii, qui fuerunt damni causa pro majori, vel minori cooperatione. Quod si damnum passus condonet principali, condonare censetur etiam aliis, sed non e contrario; quia ruente principali, ruit accessorium, non vero contra.

31. *Quæst. 3.* An teneantur restituere, qui sine vi, & fraude impedit aliquem a consecutione alicujus boni? R. certum est, ipsum graviter peccare, si id faciat ex odio, ut alio pravo fine. Communis tamen, & probabilior sententia negat, teneri ad restitutionem, si bonum ipsi non erat debitum ex justitia. Ratio, est quia non peccat contra justitiam, licet peccet contra charitatem, qui sine vi, aut fraude privat alium bono, ad jus non habet. Hinc qui episcopum avertit a beneficio conferendo personæ digniori, ut conferat minus digno, modo dolus absit, vel calumnia, non tenentur ad restitutionem damni, si Beneficium fuerit simplex, quia non lædit justitiam commutativam. Secus vero dicendum de eo, qui post concursum impedit, ut beneficium digniori detur, ad quod jus habet. Pariter non tenetur restituere, qui absque vi, & fraude impedit testatorem, ut hæredem nominet aliquem, cui hæreditas non debetur. Si quis autem per vim, fraudem, vel calumniam impedit aliquem a bono consequendo, quo dignus erat, v. g. a collatione Beneficii, peccat contra justitiam, & tenetur ad reparandum damnum. Ita omnes; quia unusquisque jus habet, ne ini-

qua via impediatur ab eo obtinendo.

32. *Quæst. 4.* Quomodo facienda est restitutio, si dominus rei sit incertus? R. si res bona fide sunt acceptæ, vel inventæ, debet inquiri dominus, qui si post prudentem diligentiam non reperiatur, debent distribui pauperibus, juxta sententiam D. Thomæ. Quanquam multi TT. probabilissime docent cum Navarro, Layman, & aliis, nullam esse obligationem distribuendi in pauperes, sed retineri posse ab eo, qui accepit, vel invenit; habentur enim, quasi dominum non haberent. Quod si res mala fide accepta sit, & post debitam diligentiam non invenitur dominus, tunc certe reddi debet pauperibus, vel expendi in pios usus. Constat ex c. 5. de Usuris, ubi dicitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, Et c. Nemo 14. q. 5. ibidem: Nemo, qui rapit moriens, si hæret, unde reddat, salvatur. Si eos, quorum fuit, invenire non poterit, Ecclesiæ, vel pauperibus tribuat. Æquum enim non est, ut quis sentiat commodum ex iniquitate.

33. Quod si adhibita diligentia cognoscatur rem ad aliquos pertinere, licet nequeat distingui, quis illorum in particulari sit dominus; iterum est videndum, utrum in numero pauci sunt, an multi. Nam si res fuerint, ex. g. vel quator, res dividenda est inter eos in quibus sit dominus. Verum si plures sint, v. g. magna pars incolarum oppidi, & res mala fide habita sit, debet distribui pauperibus illius loci, vel potest aliter compensari, v. g. a mercatore, qui in mensura fraudavit; augendo mensuram, vel minuendo

pretium. Postquam vero res ablata in pauperes, aut alios pios usus expensa est, licet dominus compareat, nulla est obligatio restituendi, si prudens inquisitio præcessit; secus vero, si hæc defuit.

34. Notandum est autem, in Bulla Cruciatæ concedi iis, qui ejus privilegiis gaudent, facultatem faciendi quandam transactionem, seu compositionem per S. Pœnitentiarium. Sed facultas hæc locum solum habet in bonis, quorum certus non est dominus; item pro bonis Ecclesiasticis, male perceptis, atque etiam juxta aliquos, pro furtis minutis, commissis ab iis, qui vendunt civibus oleum, cet. Repugnant autem La-Croix, Diana, & alii, cum talis restitutio fieri possit, ac debeat civibus, qui sunt fraudati. Videantur AA. de Bulla Cruciatæ ex instituto tractantes.

35. *Quæst. 3.* An fur teneatur restituere eum quaticumque suo damno? Affirmant aliqui, eo quod dominus ex justitia debeat compensari; si quod autem inde furi eveniat incommodum, ipsi tribuendum, qui injuriam fecit. Negat autem communis sententia, si grave sit inde sequendum detrimentum; quia tunc dominus non censetur rationabiliter invitus, nec justitiæ æqualitas servaretur. Itaque si res ipsa, quæ fuit detracta, non possit mitti ad dominum sine tanto damno, fur eam potest vendere, & pretium ad eum tran smittere. Quod si nec ejus pretium restitui possit sine magno incomodo, potest differri solutio usque ad aliud tempus. Si vero nulla sit spes, ut commode mitti possit, nec talis

sit res debita, ut necessaria sit domino, potest reddi hujus hæredibus, vel pauperibus, in quo præsumitur dominus assentiri. Quod si debitum sit magni momenti, & expensæ ad restitutionem necessariæ sint illo longe majores, satis est restituere pauperibus; secus vero si sumptus faciendi rei pretium non excedant. In quo attendenda est voluntas domini, an censi possit rationabiliter invita; & æqualitas, quam postulat justitia commutativa. V. Lugo.

36. *Quæst. 6.* An qui bona fide rem alienam emit, & alteri vendidit, teneatur pretium restituere emptori? R. teneri te, contractum rescindere, & pretium restituere, tum quia vendidisti rem vitiosam, tum quia teneris de evictione emptori. Si vero res non evincatur, nulli tenetur emptor restitutionem facere, nisi in eo factus sit ditior. Circa bona derelicta, quæ nullius domini sunt, jure naturæ, & gentium fiunt primo occupantis. Si autem sint magni momenti, ut thesauri, standum est legibus, & consuetudini uniuscujusque regni, aut Reipublicæ. Eodem fere modo disserendum est circa restitutionem damni illati per venationes, prohibitas, quod æstimari debet partim ex jure naturæ, partim ex consuetudine & legibus particularibus.

37. *Quæst. 7.* An quid tenetur possessor bonæ fidei? R. qui bonâ fide damnum intulit, aut possidet aliquid, quod postea cognoscit non esse suum, erit possessor malæ fidei, & alieni detractor, nisi restituat id, quod ex re accepta supersit, una cum ejus fructibus, si extant, atque omne id, in quo factus est ditior; nisi

dominium sibi comparaverit per legitimam prescriptionem. Ita DD. omnes ex l. 22. ff. de petit. hæred., quia dominus habet jus rem suam possidendi; & qui eam habet, tenetur eam restituere ratione injustæ detentionis, quæ in virtute est veluti injusta acceptio. Itaque si vestem, ex. g. bona fide emisti, & fere attrivisti, ac postea dominus comparet, teneris eam, vel ei æqualem restituere, & insuper persolvere, quantum attrita est. Si autem eam amisisti, vel tibi ablata est, ad nihil teneris. Et idem dico de eo, qui rem alienam bona fide vel consumpsit, vel alienavit, qui non tenetur restituere, nisi inde factus est ditior.

38. Præterea: si res aliena, accepta bona fide, sit usu consumptibilis, & ita cum propriis permixta, ut amplius discerni nequeat, licet postea intelligatur esse furtiva, non est restitutioni obnoxia; quia per illam commixtionem bona fide factam acquiritur verum dominium ex lege: *Si alieni nummi*. Verum hoc ita censeo intelligendum, ut sic acquirens semper teneatur domino reddere id, in quo factus est ditior; cum illud succedat in locum rei acceptæ, quæ re vera tunc exat in æquivalenti apud ipsum, adeoque is possidet rem alienam in æquivalenti. Atque hinc fructus omnes, qui ex aliena re percepti sunt, debent domino restituti, si extent, quia sicut res, ita & fructus ad dominum pertinent. Quod si non extent, sola est obligatio restituendi id, ex quo factus est ditior, ut constat ex leg. 1. Cod. de pet. hæ. *Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his lo-*

cupletiores extiterint. Sed non tenentur reddere fructus meræ industriæ, imo & justa multos, neque fructus, qui mixti dicuntur, ut segetes, vinum, oleum, quo etiam referunt pretia locationum domorum, jumentorum, cet. Sed de istis restituendum quantum naturæ respondet, non vero quantum respondet industriæ; hoc est, quantum important expensæ, labor, & industria, in eis consumptæ.

39. *Quæst. 8.* Quid restituere debet possessor bonæ fidei? R. tenetur 1. rem alienam; si extet, reddere domino, quod si ea non extet, ejus pretium, cum sit causa injusta damni, quod ejus privationem patitur dominus. 2. debet compensare omne damnum emergens, & lucrum inde cessans domino ex lege 5. Cod. de rei vindic. 3. tenetur restituere omnes fructus naturales, & mixtos, quos precepit ex l. 22. *Certum est, malæ fidei possessores, omnes fructus solvere cum ipsa re præstare*; quælibet enim res domino suo fructificat. Quod si res aliena, dum injuste detinetur, deterior fiat, etiam si id accidat sine ipsius culpa, debet sarciri domino. Excusatur autem injustus detentor, si id accidit absque ipsius culpa, eodem tempore, ac periculo, quo apud dominum extans periisset, aut deterior facta fuisset. Idem dico de fructibus, si pereant, deductis tamen expensis, & industria.

## CAPUT IV.

*De restitutione pro damno illato alteri in bonis ipsius, aut in membris.*

40. *Quæst. 1.* Quid generatim loquendo, restitui debet pro damno illato facultatibus alterius? R. Id æstimandum tum ex quantitate juris, quod habet damnum passus, tum damni, quod ipsi infertur. Nam qui jus habet in re, in qua damnum est passus, compensari debet in solidum; non ita qui solum habet jus ad rem, cum solum sit in spe, & multis modis impediri possit, adeoque restitutio facienda est pro majori, vel minori spe, quam ad rem habet. Unde qui in loco publico suæ Civitatis contra justam prohibitionem ligna cædit, vel pascit, nisi Communitati graviter nocuerit, non tenetur restituere: cum mens prohibentis censeatur, non velle subditos cogere nisi ad solvendam mulctam, casu, quo deprehendantur, idque post judicis sententiam. Aliud est de pascente, aut ligna cædente in loco privati hominis, qui tenetur restituere, nisi alia mens fuisse domini prudenter præsumatur. Idem dico de fraudantibus vectigalia Principum, qui peccant contra justitiam ex Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & ex illo Ap. ad Rom. 13. ideo & tributa præstatis; ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Ratio autem est certissima, quia sicut Princeps ex justitia obligatur ad

vacandum saluti populi, administrationi justitiæ, regni defensionis aliisque curis publicis: sic populus ex justitia tenetur solvere Principi vectigalia ad ejus sustentationem.

41. Excusant tamen aliqui a restitutione eos, qui gabellas defraudant, impositas iis rebus, quæ solum emuntur ad usus proprios, & familiæ necessarios, v. g. pani, carnibus, piscibus, frumento, oleo, cet. Præsertim si sint pauperes; eo quod communis consuetudo interpretetur, non esse mentem legislatorum ad aliud obligare, quam ut deprehensi mulctentur. Ita Navarrus, Cano, & alii, quorum sententiam non omnino improbabilem censent Layman, Molina, & Soto: *Non solventes autem, quia sunt instituta ex injusta causa (quod tamen credi non debet, nisi probabiliter sciantur) non peccant, nec tenentur ad restitutionem, juxta Raymundum.* Ita S. Anton. p. 2. n. 1. c. 13. qui ait in dubio justitiæ tributum solvendum esse, nisi gravis sit ratio credendi non esse justam causam imponendi, quod raro a subditis affirmari potest, qui nesciunt occultas causas, quas Principes habere possunt ad præscribenda tributa, seu vectigalia.

42. *Quæst. 2.* Quid teneatur restituere occisor, vel mutilator? R. 1. qui alium injuste occidit, vel vulneravit, tenetur restituere damna illata bonis fortunæ, quorum ipse fuit causa. Pariter impensas facere necessarias curationi, & lucrum inde cessans tam ei, quam legitimis ejus hæredibus secundum æstimationem prudentum. Tenetur etiam restituere parentibus, filiis, & conjugi ea bona, quæ occisus illis probabiliter

daret; cum sit contra justitiam impedire illos a consecutione talium bonorum. Ceteris autem, etiam propinquis, non tenetur restituere nisi id, quod jus habebant; quia licet per occisionem illi bonis consequendis impediatur, id evenit ex accidenti; nec occisio est causa directa, sed tantum indirecta. Quod si occisor se ipsa esset causa directa damni, ad resarciendum obligaretur. Atque eodem modo sentiendum de damno illato creditoribus.

43. R. 2. Præcise pro vita, membro, aut vulnere nihil tenetur aggressor restituere ex communi opinione; quia illa sunt bona altioris ordinis, quæ pecunia compensari nequeunt. Justitia autem commutativa exigit æqualitatem illati damni: ubi autem restitutio facienda sit in genere diverso, & inferiori, nulla potest esse æqualitas, nulla compensatio. Hinc Exod. 21. 19. dicitur: *percussor erit innocens, ita tamen ut operas ejus, & impensas in medicos restituat.* Et l. fin ff. de his, qui effud. dicitur vulnerans teneri ad expensas curationis, & mercedes; quibus cariturus erat vulneratus. *Cicatricum autem, aut deformitatis nullam recipit æstimationem.* Nihilominus DD. aliqui putant, damnum illatum pro vita, aut membro compensari debere modo, quo possit, scilicet vel pecunia, vel honore, idque docet D. Th. p. 42. a. 2. ad 1. in hæc verba: *Cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei compensare vel in pecunia, vel in aliquo honore.*

44. Quæst. 3. An qui alium occidens, fuit occasio, ut innocens caperetur, & plecteretur,

debeat ei restituere damna, inde sibi, vel aliis obvenientia. R. non teneri, si damnum illatum non prævidit, cum non fuerit ejus causa. Imo in probabiliori sententia etiam si præviderit: eo quod non censeatur alteri injuriosa illa actio, ex qua alteri damnum oritur, non ex, sed ex aliorum culpa, vel errore; licet iste prævideatur. Id quod ita intellectum voluit, ut actio illa exterior, neque ex natura sua, neque ex adjunctis sit moralis causa, ut delictum innocenti tribuatur; qualis esset, ex gratia, qui alium occideret indutus vestibus Pauli, vel ejus armis, vel in domo ejus, aut agro, aut cum famulorum ipsius auxilio; hæc enim omnia proxime influunt, ut mors Paulo adscribatur.

45. Hic tamen nota, eum, qui vult occidere inimicum, & per errorem amicum, vel alium occidit, reum esse homicidii, & in foro externo obligari ad restitutionem damni inde provenientis. Idem dico de eo, qui vult incendere domum inimici, & incendit domum Caji amici. Nihilominus excusant eum a restitutione in foro interno Molina, Sporer, De-Lugo, & alii, quia injuria facta amico præter intentionem non est formalis injuria, sed tantum materialis; neque est voluntaria respectu illius, cui fit injuria. Contra sentiunt Suarez, Bonacina, & alii multi. Certe id locum non habet in furto, in quo non attenditur; cui volueris facere injuriam, sed an volueris rem auferre invito domino; itaque est obligatio restituendi, sive huic, sive alteri rem iniique detrahas. Nota 2. occisorem ad nihil teneri, si occisus omnia sponte remittat, fa-

ctā autem remissione injuriæ non intelligitur condonatio damni, nisi aliunde constet.

## CAPUT V.

*Quid sit restituendum pro illato damno per stuprum, & adulterium.*

46. *Quest. 1.* Quid teneatur restituere, qui virginem per injuriam violavit? R. 1. is, qui virginem repugnantem violavit, tenetur tam puellæ; quam parentibus omnia damna reparare, tam honoris, quam fortunæ ex c. *Si culpa de injur.* Hinc si promisit ei nuptias, ad eas tenetur; quod si nubere non promisit, tenetur aut eam ducere aut talem ei dotem numerare, ut puella bene nubet, ac si violata non fuisset. Imo potest a Judice obligari ad eam in uxorem ducendam in pœnam criminis ex c. 1. *de adult.* justa ea, quæ olim sancita sunt Exod. 22. *Si seduxerit quis Virginem; dormieritque cum ea, dotabit eam, & accipiet eam in uxorem.* In dubio autem, an puella prius ab alio corrupta fuerit; præsumitur integra, donet aliud probetur. Quod si puella, clam ab alio corrupta fuerit, is qui eam per injuriam violaret, adhuc tenetur eam ducere, vel dotare, atque idem dico de vidua honestæ famæ, si ex ejus injusto concubitu suæ famæ jacturam faciat.

47. R. 2. Si virgo libere consentit, violator nihil ei debet restituere, quia volenti, & libere consentienti non fit injuriam ex reg. 27. *juris in 6.* An vero teneatur aliquam Parentibus

satisfactionem præbere, si crimen resciant? affirmant aliqui, eo quod violetur jus parentum circa integritatem filiæ; atque in hac sententia videntur fuisse S. Antoninus 2. p. tit. 5. c. 6. & D. Th. 2. 2. q. 154. a. 6. ad 3. dicens: *Injuriam facit (deflorator) patri puellæ, unde ei secundum legem tenetur ad pœnam, nimirum ex Deut. 22.* Sed ea pœna locum non habet, nisi post judicis sententiam, ut animadvertit D. Antoninus. Itaque communis, & recepta opinio negat a violatore quicquam deberi parentibus; tum quia puella, cum sit domina sui corporis, nullam irrogat injuriam Patribus, stupro consentiens, licet peccet contra pietatem, ac reverentiam eis debitam; tum quia violans sentientem, injuria eam non afficit, neque parentes ejus.

48. Tenetur tamen sarcire damnum, quod puellæ, & parentibus ejus obvenit, si deflorator rem propalaverit, ut recte ajunt Layman, & Salmant. Pariter: si puella valde pauper sit, & ille dives, ita ut pactum quoddam tacitum intercessisse credatur, dandi aliquid puellæ dotis gratia. Tandem si Judex sententiam ferat contra ipsum, damnando eum ad dotem persolvendam. Atque hæc de viro sine vi stuprum Virgini inferente. Quod si importunis precibus, vel muneribus, aut promissis eam ad consensum induxerit: aliqui volunt, virum teneri ad ducendam eam, vel dotandam, quia illæ cum violentia comparentur. Negant tamen DD. communiter, quia nec promissa, nec munera, nec preces non tollunt, nec minuunt graviter voluntarium, adeoque puella omnino sponte consentit. Excipe, ni-